

rum & inferum fertur, & à puncto ortus per occasum ad idem punctum intra 24. horarum spatium redit. Cursu periodico & proprio ab uno Tropicorum ad alterum devehitur. Utriusque hujus motus effectus sunt duplices; vel *Manifesti*, vel *Occulti*. Per cursum diurnum *manifestè*, præsens diem, absens noctem; per periodicum altior Ver & Æstatem, depressior Autumnum & Hiemem, causat. Occulti effectus utrobique sunt, qui ab influenza Solaris virtutis, nobis non usque quaque quoad essentiam suam cognitâ, dependent. Utrumque hunc effectum circa Auroræ tempus deprehendimus. *Manifestus* est Aurora ipsa, quæ corpus lucidissimum, in vicinia positum, nobis non potest non annunciare & de causa attestari sua. Ac idè Titanis dicunt filiam (ut ait *Boccatus 4. geneal. c. 27.*) non quia à Titano natam credant, sed ex Sole, quem sæpissimè ex nomine avi Titanum vocant. Nam ex Sole procedit illa claritas cæli, quam Auroram dicimus. Hinc & Aurora ipsa Tithonia nuncupata est. *Virg. L. VIII. Æneid. v. 384.*

§. 3.

*Te potuit lacrymis Tithonia flectere conjux.*

Præterea Roris etiam generatio effectui huic manifesto adnumerari potest. Dum enim à nocturno frigore & calore Solis, utròque remissò, vapor excipitur, in rorem circa terræ superficiem resolvitur. Hinc apud Poëtas Aurora audit *roscida*. Apud *Sil. Ital. lib. 13.*

— — — tenuemque ut roscida misit

*Lucem Aurora polo.*

Hinc etiam ex utero auroræ ros in *Psalms. 110. vers. 7.* Vid. *Comment.* *Occultus* forsan, qui præter influentias in univèrsam sublunarem orbem notari mereatur, est Gallicinium; Celebre circa hoc tempus, & prima Auroræ exsurgentis consalutatio. Indè Phœbo sacer Gallus ut ait *Paus. in prior. Eliacis*, quòd advenientem eum tam blandè excipiat. Eleganter hâc de re *Plinius Lib. X. 21.* Proximè, inquit, *gloriam sentiunt & hi nostri vigilantes nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno natura genuit. Norunt sidera & æternas distinguunt horas interdiu. Cantu cum Sole eunt cubitum, quartaq; castrensi vigilia ad curas laboremque revocant. Neque Solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu, ipsum verò cantum plausu laterum.* Hinc *Lucretius lib. IV. v. 647.* dicit,

§. 4.

B 2

Gallum